



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 8. Quisnam dici potest peccator publicus, ita ut meritò ei denegari possit Communio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. IX. 177

signis patefecerint ; si denique præmissa Sacramentali confessione , quæ ab eis per signa , & nutus extorquetur , pectoris tunctione , & aliis id generis indiciis , conceptum de peccatis dolorem , sicut & plam animi voluntatem indicaverint.

Quæst. 8. Quisnam dici potest manifestus, sive publicus peccator , ita ut ei meritò denegari possit sacra Communio ?

Resp. Manifesti peccatores dicuntur illi qui vel per sententiam , quæ in convictum fertur , aut per Confessionem factam in judicio sunt notati ; vel qui per factum notorium , cujus populus est testis , sunt manifesti peccatores. Itaque ille dicitur . v. g. publicus usurarius , qui per propriam Confessionem aut per testes à Judice pro tali damnatur , vel qui ex notorio facto est manifestus peccator , ut qui ex officio usuras exercet.

Illud autem dicitur peccatum publicum , & notorium per evidentiam facti , quod nulla tergiversatione potest celari , ut habetur expressè in cap. *Tua nos. De Cohabitatione Clericorum & mulierum.* Ubi verò de administratione Sacramentorum agitur , nullus certus potest præscribi personarum numerus , ut crimen dicatur notorium , sed relinquitur prudentum arbitrio seu judicio.

Quæst. 9. In dubio , utrum scilicet quis sit publicus peccator , si potest probari ejus crimen per testes , debet-ne à publica Communionem excludi ?

Resp. In re dubia locum habet regula juris : *Melior est conditio possidentis* ; unde quia quis possessor est suæ famæ , inclinandum est in hanc partem , ut in re ancipiti , ad Communionem admittatur , præsertim cum juxta axioma Juris , *Omnis homo naturaliter præ-*